SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA
Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 69r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



.U.

Sed nullus est qui si pauper esset nollet sibi saltem necessarium subsidium exhiberi. Ergo quilibet tenetur exhibere alteri si tamen habeat unde id faciat. Nam non habenti. Sed pro se mendicanti sufficit corde compati nisi tamen acquireret quod non sibi necessarium esset. Exemplum accipiamus in stomacho qui sic vult a membris ceteris deservire et necessaria ministrari. Ita omne quod ab eis accipit preter id quod sibi necessarium existit totum aliis refundit et sine aliqua acceptione distribuit. Sic cor cum servitium accipiat ab omnibus membris. Sic et ipsum de vita omnibus servit. Et sic est in omnibus aliis membris. Item ad elemosinam nos inducit divina scriptura dicens quod est cordis mundificativa. Date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis. Sicut enim aqua extinguit ignem. Sic elemosina peccatum. Exemplum de Nabuchodonosor Rege cui dictum est peccata tua elemosinis redime etc. De hoc in natura sunt exempla sed non naturalia et ideo de hoc pauca dico quia non est opusculi huius intencio nisi naturalia exempla producere que philosophi non possunt negare. Item ad elemosinam nos quasi inducit omnis creatura. Sive sit in celestibus sita sive in terris locata. Omne enim bonum sive quantum potest est diffusivum aliis communicatum. Numquid non sancti angeli magnam in nobis elemosinam faciunt. Dum nos tanta caritate custodiunt dum nos ab hoste defendunt. Dum nos continue instruunt dum nos perficiunt dum nobis in morte assistunt. Animas nostras accipiunt et ad celestia ferunt. Nam et orationes nostras que de se viles et tepide sunt ipsi ante deum ferunt. Et tamquam nobilissimi advocati coram deo eas incendunt et placere faciunt. Item quis narret beneficia celorum stellarum fixarum et omnium planetarum. Quere. j. de effectibus solis et lune in tractatu gratie. Item quis sufficienter potest beneficia ignis in illuminando in